



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 37. Indulgentiarum concessio, ac decimarum impositio a Pontifice denegata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

num esse, ut Basileenses ad tam pium o-
pus manum admoverent.

Sæcul. XV.

A.C. 1437.

§. XXXVII.

Indulgentiarum concessio, ac decimarum impositio a Pontifice denegata.

Triginta dierum induciis vix non exspirantibus, Archiepiscopus Tarentinus Eugenii Papæ Legatus Synodum adiit, atque ad ea, quæ petebantur, responsurus declaravit, Eugenium nunquam consensurum, ut Indulgentiæ promulgarentur, aut Clerus injunctis decimis gravaretur, nec Prælatos atque Universitates ad locum, quem pro futura Synodo designassent, convocaturum, minus vero hanc in rem publicas securitatis literas daturum. Potius itaque de alio loco intra Italiam summo Pontifici commodo deliberarent, quo facto sperare possent, Papam quoque petitis a Synodo sibi propositis satisfacturum. Post hanc declarationem tertia effluxerat dies, cum Basileensibus per suos Legatos nunciaretur, ab Avenionensibus jamjam triginta millia octingentos Ducatos Tririmum Præfecto fuisse numeratos (*):
de

Panorm. de
Conc. Basit.

(*) Errore typi loco florenos, credimus irrepsisse

Sæcul XV. de reliqua vero pecunia statuto tempore
 A.C. 1437. solvenda idoneam fidem fuisse datam
 nec Avenionensibus, quemadmodum Legati in suis literis testati essent, tardioris solutionis culpam adscribendam fore cum hac in re id omne, quod suarum partium esset, præstitissent. Tandem vero Legati, quæ cum Avenionensibus pertractassent, a Synodo rata haberi postulabant. Quamvis vero de nunciis, qui Avenione venerat, certitudine nullus ambigendi locus superesset, nihilominus Cardinales S. Petri & S. Sabinæ, tum cum Archiepiscopo nil intentatum relinquerunt, ut rem nonnisi in certo rumore divulgatam fuisse persuaderent, obtemperantes, nullo legitimo probari testimonio, quod Avenionenses promissam septuaginta millium ducatorum summam integre numerassent. Verum Synodus certam omnino fidem suorum Legatorum literis adhibendam respondit, cum hi defertis verbis nuntiarent, Avenionenses Triremium Præfecto triginta millia octingentos Ducatos solvisse, ac promissam residuam pecuniam suo tempore numeraturos. Equidem hoc responsum hauri inficiandæ certitudinis esse videbatur eoquod

repperisse Ducatos seu solidos aureos, nec hanc numerationem a priori in §. 36. recensita de versam esse judicamus.

eoquod evidentis facti inniteretur testi- Sæcul. XV.
A.C.1437.
monio (*). Attamen genuina Euge-
nii Legatorum intentio erat, Synodi Pa-
tres in duas factiones scindere, ac potio-
rem eorum partem eo pertrahere, ut
Concilium pro Græcorum unione indi-
ctum Florentiis, Mutinæ, aut alibi intra
Italiam, nullatenus vero in ulla ex illis
urbibus celebraretur, quas Basileenses eo
fine proposuissent, ut in illis magis, quam
optaret, Pontificia dominandi libertas
restricta esset. Præconcepta hæc con-
silia ut Legati quovis pacto ad exitum
deducerent, aliunde nil intentatum inau-
sumque relinquunt, huncque in finem
plurimos porrigunt libellos, nunc clam,
nunc & palam Synodum oppugnant,
Verum omnibus suis molitionibus non-
nisi exiguum Prælatorum numerum suas
ad partes allicere poterant; ceteri e-
nim duplo plures pro futuro Concilio haud
alias

(*) Merito Cardinales isti Legatorum dictis
fidem adhibere dubitabant; nam Avenionenses
nequidem elapso integro anno pactam pecu-
niarum vim solvisse constat, Eugenius enim
Bulla anno 1437. decimo quarto Calendas O-
ctobris edita conqueritur, quod *illi intra con-
dictum terminum pecunias nequaquam persol-
vissent*. Sic quoque referunt Odoricus, Spon-
danus, & alii.

Sæcul. XV. alias, quam olim a Patribus propositas
 A.C. 1437. urbes admittere, obfirmato prorsus ani-
 mo decernebant. Ut autem hoc eorum
 propositum eo firmiter constaret, illud
 solemniter decreto munire statuebant, hanc
 que ob rem Sessionem vigesimam quin-
 tam celebrabant.

§. XXXVIII.

Sessio XXV. Basileensis Synodi.

Labbe Conc **H**abita est die Martis septima Maji Basileensis Synodi Sessio vigesima quinta; pro cuius auspiciis Patres quemdam Prælatum nominabant, qui divina perageret, exclusis ab hoc sacro munere Papæ Legatis, eo quod reclamantibus Synodi Patribus eorum, quæ propositæ, scripturam confecerant, eaque veluti Synodale decretum haberi postulassent.

§. XXXIX.

Decretum de loco Concilii pro Græcis celebrandi.

Spond. ad **P**ersolutis aliis de more solemnibus, Basileenses, condito, cuius mox meminimus, decreto sanxerunt, vel Basilea, vel Avenione, vel denique in quadam Sabaudia urbe, celebrandum esse generale Concilium.